



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 15. Guipuscoa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## §. 14. Rioia Regiuncula.

PARS erat olim Nauarrici Regni, sed eam ut denormantem Castellam suam Castellanus occupauit. Eam dum repetit Nauarrius, totum perdidit, dum appendicem repetit.

## §. 15. Guipuscoa.

NAVARRICI quoque iuris fuit: sed sub finem saeculi 14. Legati eius prouinciae, ad Castellæ Regem accesserunt, quærentes se vangelibus obrui, eique sese submiserunt; & post centum annos instituta Comitia (quæ Hermandadas vocant) quorum auctoritate hæc prouincia gereretur.

## §. 16. Alanae Regnum.

APUD Mauros ita dicebatur: sed Sancius Rex Nauarræ hanc occupauit regionem, in eaque urbem Victoriam in Pago Gasteys excitauit, & communii contra Castellæ Regem. Verum tandem expugnatâ per Alphonsum Victoriam urbe, magnâ ex parte Castellano cessit. Et cum sibi indigenæ dominum eligerent in campo Arriaga prope Victoriam, eius pertæsi rogauere Alphonsum XII. ut Castellæ regno iungerentur, quod impetravere cum multis privilegiis, & immunitatibus.

## §. 17. Biscaya.

CERTVM est Reges Legionenses in eam Gubernatores misisse Comitum nomine. Sed cum Zenum quemdam gratiosum populo captiuum abduxissent, rebellauerâ indigenæ, & eius Generum sibi principem elegere. Ab eo prognata familia Haro, quæ diu hic rerū potita est, at sub clientelari iure Castellæ. Nihilominus Rex Nauarræ sibi partem arrogabat, qui se Biscayæ Dominum appellabat. Quod etiam in præsentia Rex Hispaniæ facit, qui cum eam subit, uno pede incedere nudus debet; idque præstare cogitur intra annum, alioqui redditus non percipit. Unita fuit Biscaya cum Dominus de Haro in obsidione Argezilæ bello Maurico mortuus esset, cuius hæreditas Ioanni Castellæ Regi obuenit.

Nn iij